



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio VII. In Titulum VII. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit
per adulterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO VII.

In Titulum VII. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

Hoc titulo exponemus impedimentum, quod nascitur ex crimine non solum adulterii, de quo tantum agit præfens titulus; sed etiam conjugicidii, seu machinationis mortis in proprium, vel alienum conjugem, animo incundi matrimonium cum superstitē.

ARTICULUS I.

De impedimento criminis ex adulterio.

Supponendum i. crimen adulterii præfens nullum præstare adulteris impedimentum dirimens matrimonium subsecuens inter adulteros, legitime soluto vinculo prioris matrimonii, quo stante copula eorum carnalis erat adulterina. Nam adulterium ex se præcisè, nec jure naturali, nec divino, sed solum Ecclesiastico adulteris præstat impedimentum (etiam deinceps, cum liberi fuerint) dirimens matrimonium subsecuens; secus, nisi conjugatur cum promissione matrimonii, vel machinatione mortis, ut patebit ex sequentibus.

§. UNICUS.

De impedimento ex Adulterio.

Supponendum, adulterium posse considerari, secundum se, & seorsim a data simul fide matrimonii cum altero, aut machinatione in mortem alterius conjugis; vel ut conjunctum cum alterutro eorum; hoc §. agemus tantum de adulterio, ut conjuncto cum promissione, vel data fide matrimonii, post mortem alterius conjugis; & quia adulterium præcisè, & secundum se non præstat impedimentum dirimens subsecutum adulterorum matrimonium, ut constabit ex n. 981. Quæstio præfens est, si conjugatur cum data fide matrimonii. Qua in re Concilium Triburienſe sic loquitur, ut habetur *C. Relatum. 31. q. 1.* Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mæche, vivente viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, Tom. IV.

set, duceret uxorem: quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus. Idem habetur *c. Nullus 1. c. Illud. 2. c. Hac ratione 9. ead. causa & questione.*

De hac ipsa quaestione, an liceat alicui cum ea contrahere matrimonium, quam uxore sua vivente sibi de facto matrimonio copulavit? Episcopo Baranensi (ut habetur *c. super hoc 3. h. 1.*) rescripsit Alexander III. in hæc verba: *quod si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dedit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus: secundum Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuo est servanda.*

Quamvis autem hic textus loquatur de casu, quo conjugatus uxore sua vivente aliam sibi copulavit, & resolvat ad incurrendum impedimentum criminis ex adulterio, cum machinatione in mortem alterius conjugis (esto fidem non dederit ei, quod primam defunctam secundam ducturus esset) quia tamen vivente prima, secundam sibi copulavit, hoc est, matrimonii fidem dedit de presenti cum adulterio, merito separandus erat; cum ex hoc etiam titulo, seu crimine invalidè contraxerit cum secunda, etiam post mortem primæ.

Et Clemens III. in *c. Ex litterarum 4. eod.* de viro, qui vivente uxore, etiam legitime ab eo separata quoad thorum, secundam consciam, duxit uxorem, ac ex hac liberos suscepit, ita statuit: *quod Episcopus illos debeat ab invicem separare.* Idem verò vir indicta ei de adulterio penitentia, aliam ducere poterit in uxorem, intellige, postquam prima ex hac vita decessit, ut habetur in integra lectione. Idem dicitur in *c. Cum haberet 5. eod.*

Specialiter autem notandum est, quod habetur *c. significasti. 6. eod.* Ibi enim ad casum, quo proponebatur, Cajum quandam mulierem Mæciam duxisse legitime in uxorem, & eam relicta cuidam meretrici adhæsisse; cum autem ab ejus contubernio ad thorum non posset legitimum revocari, in eum excommunicationis sententiam esse latam. Verum, cum Ca-

L I

jus

ius pro verâ uxore mortuâ dictam meretricem sibi desponsasset, dubitatum fuit, *an eam validè in uxorem acciperet?* rescriptis Innocentius III. quòd, *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel eâ vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo*, legitimum iudices matrimonium supradictum, excommunicato munus absolutionis (si petierit) iuxta formam Ecclesiæ impendant. Ex his iuribus habetur, quòd adulter adulteram, etiam in casu, postquam ambo soluti sunt à priori matrimonio legitimo, si conjugati fuerunt, non possit validè in uxorem accipere, si vivente verò conjugè commissum inter illos, ut ponitur, sit adulterium, & data fides matrimonii, vel de præsentis, vel de futuro; etiam si non intervenerit machinatio in mortem alterius conjugis; consequenter tale adulterium adulteris præstare impedimentum dirimens matrimonium inter eos contrahendum. Pro huius majori confirmatione, notandum i. ad hoc, ut dicto impedimento locus sit in dato casu, plura requiri. Primò, quòd adulterium fuerit *formale*, hoc est quòd complex delicti, sciverit, alterum actu esse vinculo matrimonii ligatum.

979. Constat hoc i. ex c. *Propositum* i. h. t. ubi Alexander III. Abbati S. Albani, querenti, an conjugatus qui aliam, huiusmodi rei (quòd alter conjugatus esset) *in sciam sibi copulavit*; primâ mortuâ, valeat discedere à secundâ? respondit: licet in canonibus habeatur, ut nullus copulet sibi matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore suâ vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris: quia tamen præfata mulier erat *in scia*, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet, consultationi tuæ taliter respond. quòd *nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.*

980. Ex hoc textu clarè deducitur, quòd adulterium *formale* requiratur; aliàs enim in favorem deceptæ non imposuisset Pontifex penam viro, quòd, *nisi mulier divortium petat*, ad petitionem viri non sint aliquatenus separandi; secus ad petitionem mulieris. Nam, si adulterium fuisset *formale*, hoc est, si & ipsa mulier

conscia fuisset, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec ipsa digna foret, ut ad ejus petitionem divortium ferret; sic enim etiam ipsa, non minus, ac prædictus vir, *scienter contra Canones venisset.* Et ideo ex hoc textu ulterius deducit Barbosa in *cit. c. Propositum*, n. 2. & apud eum Sylvester V. *Matrimonium*, s. q. 9. *dict.* 4. Sanchez. l. 7. *Matr. d.* 79. n. 31. *ignoranter rem habentem cum uxore, posse post obitum conjugis, cum ea matrimonium contrahere.* Quia sic copula, quæ intercessit, ex parte ignorantis alterius conjugium, non fuit formaliter, seu imputabiliter, adulterium, sed simpliciter fornicatio, id, quòd etiam tenet Henriquez in *Summa* l. 12. c. 14. n. 3, intellige nisi intercesserit machinatio mortis.

Confirmari hoc totum potest ex c. *Veniens* 7. h. t. Nam Innocentius III. propositâ quæstione, an uxoratus, vivente uxore suâ, contrahens cum secundâ inficiâ, quòd ipse conjugatus esset, mortuâ primâ possit secundam in uxorem habere? respondit: *licet vivente uxore legitimâ prædictam sibi copulare nequiverit in uxorem*; quia tamen uxore defunctâ, utpote à lege ipsius solutus in eandem de novo potuit matrimonialiter consentire, *modo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris*: mandamus, quatenus si est ita, eidem ut supradictæ affectu adhareat conjugali, licentiam concedatis. Ex hoc textu sequitur, quòd solum adulterium non dirimat subsequens matrimonium adulteri cum adulterâ, nisi vivente uxore fidem ei dederit de contrahendo, vel adulter in mortem mulieris machinatus fuerit, ut loquitur Glossa. in *cit. c. Veniens*, in ipso casu; & patet ex ipso textu.

Si autem exinde inferas: ergo per sensum contrarium in vi huius textus non valuisse matrimonium adulteri cum adulterâ, si adulteræ (quantum vis inficiæ, quòd ipse conjugatus esset) vel dedisset fidem de contrahendo, vel alteruter machinatus fuisset in mortem mulieris; prob. illatum; nam textus loquitur de adulterâ, quæ nesciebat virum actu conjugatum esse; & dum approbat matrimonium adulteri, & adulteræ, approbationem restringit, *si nihil eorum, quæ dicta sunt, intervenit*; ergo si quid eorum intervenit, nempe vel fides

fides data, vel machinatio, non approbat, sed reprobat eorum matrimonium, non obstante, quod adultera fuerit infamia, ipsum esse conjugatum.

R. Quod Pontifex in *cit. c. Veniens* non approbet matrimonium adulteri cum adultera, prius contractum vivente primâ uxore; sed matrimonium contrahendum, si neutrum eorum, nempe, nec data fides, nec machinatio mortis intervenit; ex hoc autem non rectè inferri; ergo si alterutrum intervenit, etiam si adulterium non fuisset formale, matrimonium inter adulteros etiam noviter contrahendum reprobat. Nam ut constat ex claro jure, nec fides data, nec machinatio mortis, quæ procedit ab uno tantum, etiam altero ignorante, sine adulterio liberè admissio, inducit hoc impedimentum; sed adulterium liberè admissum dici non potest, ubi est ignorantia de conjugio complicitis; ergo. Unde Glossa in *cit. c. Veniens, V. infamiam*, ait, *si hoc fuit verum* (nempe quod mulier nesciverit, Virum, cum quo peccavit, esse conjugatum) legitime poterit remanere cum illo; quod etiam habetur in *c. 1. h. t.* de quo supra.

Præter hæc not. 1. et si P. Sanchez D. 79. à n. 32. doceat, ad hoc impedimentum sufficere, quod ante notitiam conjugii data sit fides matrimonii, si post notitiam conjugii sequatur adulterium: tamen cum hæc dispositio juris, sit pœnalis, & odiosa, valde probabile videri, opus esse, & fidem matrimonii dari, & adulterium sequi debere post notitiam conjugii; quia pœna supponit culpam in utroque actu non qualemcumque, sed eam, quæ præjudiciosa sit conjugii non tantum violando fidem thori, sed etiam alliciendo spe promissi matrimonii cum adultera, ut conjunx innocens periclitetur; ut autem quis in dato casu dicatur non habuisse notitiam de circumstantia conjugii, censet Sanchez n. 38. sufficere ignorantiam crassam, & supinam; licet Barbosa *cit. n. 3.* dicat, hoc esse contra communem, quæ requirit ignorantiam saltem probabilem, ut fatetur Castropal. *cit. n. 8.* Verum esto ignorantia crassa sit, adhuc tamen in re occultat circumstantiam actualis conjugii, consequenter facit ne, cognita sit; adeoque quin adulterium sit formale, sine

Tom. IV.

quo non stat hoc impedimentum ex solo adulterio, & data matrimonij fide.

Not. 2. ad incurrendum hoc impedimentum requiri, quod adulterium commissum sit in effectu, seu in re, non autem in affectu tantum, ad hoc autem necessarium est. 1. ut interveniat copula perfecta, de qua n. 460. & constat ex *c. fin. h. t. ibi: non obsuit conatus*, &c. deinde, quod conjugium ejus conjugis, ratione cujus emergit adulterium, fuerit verum & validum; sumus enim in materia pœnali, & odiosa. Ex quo colliges, quod adulterium, tantum existimatum, interveniente promissione matrimonii, non dirimat nuptias cum adultera; quia sic non intervenit adulterium in re; cum hoc esse non possit, ubi nullus ex peccantibus habet verum conjugium.

Not. 3. hoc impedimentum esse perpetuum, adeoque per illud dirimi matrimonium adulteri cum adultera, etiam mortuo altero conjugio, quo vivente adulterium commissum est, & matrimonii fides data adultero; habetur *c. cum haberet. h. t. ibi: eis perpetua continentia indicatur. item c. super eo eodem. ibi: & hæc prohibitio perpetua est servanda: denique c. si quis vivente. 31. q. 1. ut dicemus infra.* Cum autem dixerimus ad contrahendum hoc impedimentum requiri adulterium conjunctum cum matrimonio vel contracto defacto, vel fide data de contrahendo, dubitatur, an sufficiat matrimonium clandestinum, consequenter ob clandestinitatem invalidum?

R. cum finis hujus dispositionis sit cavere matrimonii attentationem, ne detur occasio, seu votum captandi homicidium seu quarendi mortem alterius conjugis, & hoc non caveatur, si dispositio locum non haberet in casu matrimonii invalidè contracti, probabiliter aliquos censere, sufficere quodlibet matrimonium attentatum, licet clandestinum, ita Sanchez. l. 7. d. 79. n. 8. Cum autem Caspar Hurtado d. 23. diff. 2. censeat, requiri matrimonium, quod alias foret validum, nisi alter conjunx viveret; adeoque non sufficiat matrimonium eo titulo invalidum, quod sit contractum clandestinè (cum sumus in materia pœnali, quæ strictè accipienda est) hæc sententia videtur omnino probabilis;

L1 2

cujus

ejus ratio sumitur ulterius ex dict. an. 383. quia sic in re nullum intercessit adulterium.

987. Not. 4. ad incurrendum hoc impedimentum ex adulterio, datâ simul fide matrimonii, requiri, quod promissio matrimonii ab uno facta, ab altero sit *acceptata*. Nam alias non est *promissio*, sed *pollicitatio*; & fides data intelligi debet *cum effectu*, scilicet *cum promissarii acceptatione*; sic Barb. in *c. fin. h. t. n. 2.* imò acceptationem debere esse expressam, nec sufficere taciturnitatem tenet Sanchez *l. 7. d. 79. n. 22.* præsertim cum alter etiam inhabilis reddatur, & subjiatur pœnis Ecclesiasticis, ut rectè notat Castropal. *de spons. d. 4. p. 12. n. 10.* secundum quem etiam probabile est, *promissionem debere esse mutuam*, quia agimus de *matrimoniali* promissione; sic sentit Gl. ad *c. significasti, de eo, qui duxit*, & plures alii apud Castropalaum *cit. p. 12. n. 12.* qui tamen contrarium iudicat probabilius. Verùm jura intelligenda sunt in hoc casu eodem modo, quo alias fieri solet *desponsatio*; hæc autem explicat *promissionem recipiam*; sic Layman *l. 5. Theol. moral. p. 4. c. 10. n. 4.*

988. His addit Vincentius de Justis *l. 2. de dispensat. matrim. c. 16. n. 32.* probabilius esse, in hoc casu, impedimentum contrahi, si uno promittente alter non contradicat; quia cum adulteri se mutuo ament, censentur matrimonium, tanquam rem sibi favorabilem expetere; in favorabilibus autem, *qui tacet consentire videtur*; sed in plurimis adulteris fallit, qui communiter solum querunt usum alieni corporis, non matrimonii vinculum insolubile cum tali persona.

989. Not. 5. Requirit etiam, ut adulterium & promissio fiat *vivente conjuge illius*, qui est complex adulterij. Unde non sufficit, utrum fieri in uno, vel durante uno, & alterum alio conjugio, sed utrumq; fieri debet durante eodem conjugio; ita Sanchez *cit. n. 5.* & Barb. *in cit. c. fin. n. 3.* Nam hoc impedimentum, & inde nascens inhabilitas pœnalis neutrum seorsim ab altero afficit, nec matrimonium, seclusâ fide datâ, & conjugicidio; nec fidem datam, vel conjugicidium tantum unius voluntate liberâ commissum sine adulterio; nec utrumque, nisi quantum conjugi innocenti injuriosum est. Hinc qui Bertæ conjugate actu dedisset fidem matrimonii

post mortem sui conjugis, & post hujus obitum primò, non autem prius, adulterium cum ea commisset, ex hoc præcisè non incurrisset hoc impedimentum. Cum enim ambo puniantur, nec id ob solum adulterium, vel solum matrimonij promissionem, ut dictum est, utrumq; fieri debet durante alterius conjugio; ita Sanchez *l. 7. hic. d. 79. à. n. 2.*

Not. 6. Dubitari etiam, an requiratur, quod promissio sit *vera*, scilicet animo se obligandi? R. affirmativam esse omninò probabilem; alias enim non esset *promissio*, sed *fiçtio promissionis*; sic fiçtè solum proferens hæresim, non incurrit excommunicationem latam in hæreticos; ita tenet Henriquez *l. 12. c. 14. n. 3.* & alii; id, quod limitant alii, nisi externe appareat fiçtio: tunc enim aequè periculum est captandi occasionem occidendi alterum conjugem (quod tamen cavere vult ista juris dispositio) quam si esset vera; ita Sanchez *d. 79. n. 10.* Verùm ex identitate rationis in pœnalibus non valet extensio, ut saepe dictum est in præcedentibus; at hæc limitatio procedit ex identitate rationis, nempe à promissione vera ad fiçtam extendendo pœnam, & quidem valde gravem; ergo.

Not. 7. quæri posse, an sufficiat *promissio solum conditionata*? affirmativam tenet Sanchez *l. 7. d. 79. n. 11.* quia est vera promissio obligans ad expectandum conditionis eventum, & præbens ansam conjugi captandi mortem. Verùm *promissio conditionata*, pendente conditione, non est *promissio simpliciter*, de qua lex loquitur, quæ pœnalis est; nec eam captandæ mortis ansam præbet, quam promissio pura & absoluta; & ideo probabilius est, eam non sufficere, nisi conditio eveniat ante mortem conjugis; ita Layman *supra cit. c. 10.* & alii; quia faciè conjugij spem solum dubiam; sic nec sponsalia conditionata produciunt impedimentum publicæ honestatis pendente conditione, licet pariant obligationem expectandi eventum conditionis juxta dicta à n. 196. Ex hoc sequitur, Titium validè, ac licitè, sine ulteriori dispensatione inire matrimonium cum Caja, licet ei matrimonij fidem dederit sub conditione, & adulterium cum ea commiserit, si ante conditionis eventum, Caja viro naturali morte sublato, Titius & Caja (non curantes

curantes conditionis eventum, aut ejus immemores) matrimonium per verba de presenti contrahant. Sic enim ante matrimonij contractum nondum incurrunr hoc impedimentum; excipe, nisi conditio esset talis, qua haberetur pro non adjecta; nec conditio prius facta remissa censeri potest, quam matrimonio contracto.

992. Not. 8. requiri, quod fides data, & adulterium contigerit durante uno, & eodem conjugio. Nam utrumque punitur, quatenus *conjuncta* praestant votum matrimonij: at hoc non contingit, nisi ambo fiant durante eodem conjugio; ita Coninch. *hic d. 3. l. 1. n. 52.* Layman *Theol. moral. l. 5. p. 4. c. 10. n. 4.* & alii. Unde sequitur, quod Titius valide liciteque ducat Bertam, licet ei vivente sua uxore fidem matrimonij dederit, & uxore mortua, ductaque Caji cum Bertâ committeret adulterium, quia fides data & adulterium non contigit eodem matrimonio durante; imò fides Bertae data per matrimonium cum Cajo ipso facta fuit revocata; & respectu vel uxoris Titii, vel mariti Bertae cessat periculum de voto mortis ex impulsu datae fidei adulterio conjunctae.

993. Not. 9. requiri etiam, quod durante conjugio facta promissio non sit *concordialiter revocata* prius, quam adulterium sequatur. Cum enim adulterium non puniatur hoc impedimentum superinducendo, nisi quatenus conjunctum datae fidei praebet occasionem machinandi mortem alterius conjugii, eo ipso non inducitur hoc impedimentum, nisi, dum committitur adulterium, sit etiam fides data, vel sequatur, neutro prius retractato; ita Vincen- tius de Jussis. *l. 2. de dispens. matrim. c. 16. n. 29.* Quod enim nec physice, nec moraliter, seu habituali perseverantia existit, cum subsequente alio conjungi non potest. Unde, si post fidem datam, & non retractatam secutum sit adulterium durante eodem matrimonio, jam est contractum impedimentum; nec tollitur quantumvis facta penitentia sceleris commissi; hoc enim non tollit legem Ecclesiae, imponentem hoc impedimentum adulteris, data semel fide, ubi ambo semel coextiterunt, non retractata; sic Bonacina *de Matr. q. 3. p. 6. propos. 3. n. 13.*

Not. praeterea 10. hoc impedimentum 994. ab infidelibus non incurri. 1. si tempore infidelitatis adulterentur, & sibi fidem dent futuri matrimonii; quia non subsunt legibus Ecclesiae, à quibus unice hoc impedimentum suos fatales repetit, ut constat ex dictis. Et ideo, si post hoc contraxerunt matrimonium, etiam baptismo suscepto, valide, ac licite sine dispensatione in illo remanere possunt. Secundo licet adulterium commissum sit ante, & fides data primo post susceptum baptismum, vel e contra. Nam ad hoc impedimentum incurrendum, cum sit odiosum, ac poenale, ut propè omnes auctores loquuntur, requirit utrumque factum in statu, quo subsuntur legibus Ecclesiae: secus, si saltem unus, dum esset fidelis, foret in utroque reus; ut colligitur ex *e. Laudabilem l. de convers. infidel.* Sic Gonzalez in *e. si quis. 8. de eo qui duxit n. 4.* qui n. 6. proponit hanc quaestionem, an adulterium tantum, absque fidei interpositione de futuro matrimonio, vel machinatione in necem vii, commissum impediat matrimonium? Et postquam dixit, quod Doctores in praesenti affirmant, adulterium tantum absque aliis circumstantiis non impedire contrahendum matrimonium, aut dirimere jam contractum inter ipsos adulteros: & ita textum in *e. 1. b. t.* in illis verbis, *maximè si*, &c. exponunt tantum, *si machinatio secuta sit*; statim subjungit: hanc sententiam expressè convinci ex *e. 1. 31. q. 1. c. 2. ead. q.* ubi legendum esse, fieri non posse connubium, jam notarunt Aht. Aug. ibi, Cuiac. in praesenti.

Quare eà sententia omisâ verius credo 995. inquit, tam jure civili, quam veteri Pontificio, ex solo adulterio impedimentum hoc provenire. Opinionem suam sic probat; Quia de jure civili expressè constat ex *L. Claudius. ff. de his, quae ut indig.* nam licet lege Julia de adulteriis tantum prohibitum esset damnatae mulieri nubere damnato ex eodem delicto cum ipsâ commisso, quamvis non esset prohibitum matrimonium inter eos, si cum postulati fuissent, condemnatio sequuta non fuit *L. quaesitum 40. ff. ad L. Jul. de adult.* ubi Cuiac. *l. 19. resp. Papin.* tamen Papinianus magno ingenio, quo polluit, idem respondit, et si viro condemnato mulier absoluta esset,

esset, cum præcessisset adulterium; & ita licet lege aliqua, aut senatus consulto speciali eo casu matrimonium non improbaretur, attamen quia bonis moribus advertebatur, illud injustum iudicavit, quia in matrimoniis non tantum, quod licet. sed quod honestum est, attenditur *semper in conjunctionibus*, ff. de reg. jur. l. adoptivus 14. & serviles, ff. de adopt. quod etiam primi Ecclesiæ Legislatores admiserunt, ita ut ex solo adulterio impedimentum hoc oriretur, c. 1. & 2. 31. q. 1. sic ille.

Sed his non obstantibus dicendum est contrarium, ne videlicet ob solum adulterium huiusmodi connubium dissolvatur, sed tum demum, si alterutrum concurrat ex his duobus casibus, puta si in mortem prioris conjugis alteruter fuerit machinatus, vel præmaturè, cum adhuc viveret, de contrahendo post ejus mortem conjugio præstita fuerit fides, ut habetur in c. 1. §. licet autem, & c. significasti 6. cum sequenti in fine h. 1. cap. tanta est vis, in fine, infra, qui filii sint legitimi; c. relatum, cum sequenti eadem 31. q. 1. Et liquet ex iuribus à nobis allatis supra. Quod autem adducitur ex jure civili, locum non habet, cum ipsum impedimentum matrimonii statuere non valeat. Veteribus autem canonibus ex c. nullus 1. & c. denique. 31. q. 1. opponimus novos, de quibus supra; hi enim ad hoc impedimentum criminis incurrendum, quando statuitur adulterio, præter istud, exigunt vel fidem matrimonii datam, vel mortis machinationem saltem in uno.

ARTICULUS II.

De impedimento criminis ex Conjugicidio.

Conjugicidium fieri potest vel à proprio 996. conjugè conjugem suum occidente, vel ab alio, vel ab utroque, & hoc vel sine, vel cum adulterio præcedente. Unde quaestio est: an ad inducendum hoc impedimentum sufficiat solum crimen conjugicidii, etiam ab uno patratum, ut deinde superstes cum complice criminis matrimonium (seclusà dispensatione) nec licitè, nec validè contrahere possit? Qua in re 32. quòd conjugicidium non dirimat matrimonium occisoris cum conjugè superstitis, nisi in duobus casibus. 1. Si homicidium factum sit ab utroque simul, nimirum à viro, & muliere,

cujus maritus occisus est; 2. Nisi præcesserit adulterium inter eos, qui post mortem occisi inire matrimonium volunt, si tantum unus eorum conjugicidium patravit. Ex quo colliges in hoc secundo casu ad incurrendum impedimentum non sufficere, vel solum adulterium, vel solum occasionem sui, vel alieni conjugis, sed requiritur utrumque simul.

Ratio primi casus est ex c. Laudabilem, de conversione infidelium, cujus hic tenor est: interrogasti de Sarracenis, qui, dum in captivitate essent, quarundam Christianarum viros, earum insidiis, & machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores: vel si duxerint, conjugium teneat eorundem? Quo postea respondit Pontifex: hic Triburiensis Concilii regula contenti sumus, assentis, quòd in mortem, ipsorum malitiosè fuerint machinatae, (licet earum studio ad fidem accesserint) nec tamen eis adherere debent; nec sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi; cum tale damnum tali lucro Ecclesiæ compensare non velit. Ad hoc Sarraceni quidam, in bello sunt Christianos interfecisse notati, & Christiani similiter Sarracenos: postea verò sarraceni ad fidem conversi, uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, sibi matrimonialiter copularunt, & id ipsum Christiani de Sarracenis mulieribus, conversis ad fidem fecisse noscuntur, quæ postquam de priorum virorù morte compereant veritatem, divortium constanter exposcunt: in his igitur respondemus, quòd, cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter huiusmodi personas licitè potest contrahi, & taliter copulari divortium nequeunt postulare. Sic Clemens III. ubi videt, nullà mentione adulterii factà, Sarracenis, qui ex mandato, & consilio uxorum, maritos earum interfecerunt, cum illis uxoribus matrimonium interdicti.

Ratio secundi ex c. si quis vivente 31. q. 1. c. 5. ibi: Si quis vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto, eandem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ penitentiae subjiciatur, de quo etiam post penitentiam præfatam, si expedierit, servabitur regula: nisi forte vir, aut mulier virum, qui

qui mortuus fuerat, occidisse notetur, aut propinquitas, vel alia qualibet actio criminalis impediatur. Quod si probatum fuerit, sine ulla spe coniugij maneant perpetuo cum penitentia. c. super hoc 3. c. significasti. 6. h. t. de quibus supra egimus; ubi semper cum machinatione mortis adulterium requiritur, uno tantum in alterius conjugis mortem machinante; ita Sanchi. l. 7. hic d. 79.

990. Not. autem 1. ad adulterium hic requiri copulam non qualemcunque, sed perfectam, & consummatam, nimirum cum effusione seminis intra vas mulieris; adeoque non sufficere copulam solum attentatam, ut dictum est n. 460. & quod præcesserit adulterium formale, seu cum scientia conjugalis vinculi vel in utroque, vel in alterutro, inter quos habita est copula ex n. 980. quare uniuersim hic adulterium intelligendum venit, prout accipiendum diximus loco cit. cum & hic sumus in materia odiosa, & pœnali.

1000. Not. 2. in neutro casu sufficere machinationem mortis in vitam alterius conjugis, nisi cum effectu, hoc est morte secuta, ut colligitur ex c. si quis vivente. 3. i. q. 1. ubi dicitur, quod si quis vivente marito e-
jus uxorem adulterio polluit, & marito defuncto, eandem sumpsisse dignoscatur, penis subiciatur, nisi forte vir, aut mulier virum, qui mortuus est, occidisse no-
teatur; quod si probatum fuerit, sine ulla spe coniugij maneant perpetuo cum peniten-
tia. Cujus ratio est, quia leges pœnales, nisi expriment, pœnam statui delicto, etiã attentato, petunt actum consummatum. Nam de generali consuetudine non puni-
tur affectus, ut notat Pyrrhus Corradus in
praxi dispens. Apostol. l. 8. c. 9. n. 13. ne-
que cotatus, sive attentatum, nisi sequatur effectus, & sic in causa veneni judica-
tum esse; licet sit gravius, veneno quem
occidere, quam gladio, per L. 1. C. de Ma-
lefic. Nam occidens veneno, proditorie ag-
git, ut ille se defendere non possit, quod se-
cus est in eo, qui occiditur gladio; Baldus
in L. Nemo Clericus. C. de summa Trinitate,
& Fide Catholica.

1001. Not. 3. ut quis dicatur, machinatus in mortem alterius cum effectu, sufficere, quod quis occiderit etiã consilio, vel mandato; sic Corradus cit. n. 17. cum aliis communitur. Nam machinatio di-

citur occulta insidiatio; & in casu præfenti illa proprie dicitur, quando maritus vitæ uxoris insidiatur, & contra; sic ille: at hoc etiam fit dando alteri consilium, vel mandatum de illo occidendo; non sufficit etiam sola ratihabitis occisionis ab alio factæ; vel alterius consilio, aut mandato. Sic enim ratam habens non est occisionis causa; sic Laymân l. 5. summe tr. 10. p. 4. c. 10. d. n. 1. quando autem dicitur, rati-
habitionem mandato equiparari de reg. juris in 6. intelligitur in illis casibus, vel qui solum a voluntate ratum habentis pen-
dent, vel ubi juris dispositione ratihabito pro mandato habetur; Castropol. de spons. d. 4. p. 12. n. 4.

Not. 4. etiam requiri, ut occisio fiat cum intentione inuendi matrimonium cum conjuge superstiti occisi; cum hoc impedimentum statuatur, ne cupiditate alieni matrimonii conjuges occidantur; ita D. Thomas in 4. d. 37. q. 2. a. 2. Laym. cit. & alii; nec sufficit, nisi occisio fiat cum intentione inuendi matrimonium cum persona determinata. Nam intentio cum aliqua; nullam determinando, non est vera intentio contrahendi matrimonium, quia istud cum incerta contrahi non potest.

Not. 5. dubitari, an hæc intentio debeat esse exterius manifestata? & quam-
vis in hac questione Castropalensis cit. n. 5. negativam iudicet probabiliorẽ (quia, licet Eccelesia non puniat ob actus merè inter-
ternos; punit tamen ob actum externum ex tali intentione factum; sic excommuni-
cat Inquisitores, qui odio, vel amore ducti, reis faciunt iniustitiam. Clem. 1. 2. verum, de heret.) oppositum tamen etiam probabiliter affirmatur, saltem pro foro conscientie; cum ratio contraria nitatur sola præsumptione fori externi, præsumptis eam intentionem adfuisse, quoties occisor conjugis, præsertim adulter, superstitem conjugem adulterum intendit sibi matrimonio copulare. Et deducitur etiam ex fine, quem respicit dispositio inducens hoc impedimentum, de quo dixi supra; quia ex sola morte conjugis sine promissione habendi superstitem in uxorem non adeo concipitur animus machinandi mortem alterius; & ita tenet Basil. Pont. l. 7. c. 45. n. 4. Caspar. Hurtad. d. 23. diffi. 1. n. 3.

Not.

1004.

Not. 6. supra dictis in n. 990. non ob-
stare, quod in *cit. c. significasti* conjugium
adulterorum reprobetur, *si eorum alter*
uxore vivente fidem illi, hoc est, suo in
adulterio complici, *dederit de matrimo-*
nio contrahendo; ex quo aliqui inferunt,
& promissionem fictam, si fictio ex signis
externis colligi non possit, & non mutuam
sufficere, supposito, vel confecuto adulte-
rio; nam sic verba textus unius promissio-
ne verificantur. Non, inquam, obstat hic
textus *c. significasti*. Nam nego *promissio-*
nem, proprie, ac strictè loquendo verifica-
ri unius consensu, non acceptato, ex n. 6.
cum seq. vel unius promissione merè ma-
teriali, seu solius oris, ex dict. à n. 87. ita et-
iam tenet Vincentius de Justis *de dispens.*
matrim. l. 2. c. 16. n. 31. dicens, requiri, ut
fides vel promissio ab uno data, ab altero sit
acceptata, nec sufficere pollicitationem
simplicem, sed promissionem debere esse
reciprocam.

1005.

Not. 7. promittentem simpliciter duce-
re Bertam (qui uxore suâ mortuâ ducit Ca-
jam, istòq; matrimonio durante commit-
tit adulterium cum Berta absq; nova pro-
missione matrimonii) non impediti, quò
minùs mortuâ Cajâ, validè ducat Bertam;
quia sic data fides, & adulterium non sunt
facta tempore ejusdem conjugii, quod ta-
men requiritur ex n. 992. ita Sanchez *l. 7.*
d. 79. n. 6. & alij.

1006.

Not. 8. nihil referre, quòd adulterium
committatur ante, vel post fidem datam, si-
ve post matrimonium de facto contractū;
quia ad incurrendum tale impedimentum
fat est, quòd eodem conjugio durante, fi-
des cum adulterio concurrat, seu cum
matrimonio de facto contracto; sic Bona-
cina *de matrim. q. 3. p. 6. propos. 3. n. 8.*
& alij.

1007.

Not. 9. si eodem matrimonio durante
facta fuerit promissio futuri matrimonij,
sed antequam adulterium commissum sit,
dictam promissionem concorditer annul-
lent, quamvis postea adulterium commit-
tant, impedimentum non fore contractū;
secus si eodem conjugio durante facta fue-
rit promissio futuri matrimonij, & simul
commiserint adulterium, licet postea pœ-
nitentiâ ducti promissionem annullent;
nilominus enim impedimentum erit
contractum, nec poterunt absque dispen-
satione copulari matrimonialiter.

Not. 10. quòd si quis ignoret conjugii
um alterius, & contrahat cum illâ, postea
verò certior factus de illius matrimonio
statim se separet, nec ulterius carnaliter
ipsi copuletur, posse mortuâ uxore cum illâ
contrahere; quia sic fides data non con-
currit cum adulterio ab eo *scienter* admis-
so; ergo per n. 980. non inducitur hoc
impedimentum. Similiter in casu, quo
liber mulieri putativè conjugatæ dedisset
fidem matrimonij, non inducitur hoc im-
pedimentum, licet copulam cum illa ha-
buerit, ejusque matrimonium tum ab ipso,
tum à complice, ac alijs pro valido habitū
esset, nec etiam quoad thorum, & cohabi-
tationem separatam; quia ubi non est ma-
trimonium, non est adulterium.

Not. 11. juxta Vincent. de Justis *cit. c.*
16. n. 46. per promissionem factam ad-
ulteræ, illam ducendi post mortem ejus ma-
riti, si infra tale tempus accidat, induci
impedimentum hujusmodi, quia esset ve-
lut promissio absoluta contrahendi post
mortem conjugis, & ex tali promissione
daretur ansa accelerandi mortem: sed hoc
intelligendum videtur, quando promissio
purè facta est; si enim sub conditione
non dum completa, & adhuc pendente,
dum moritur vir adulteræ, aut uxor adul-
teri, secus dicendum videtur ex dict. Et
ideo impedimentum hujusmodi non in-
currunt adulteri, qui non absolute sibi pro-
miserint, sed quodammodo conditiona-
liter v. g. non ducam aliam, nisi te; quia
hujusmodi verba sunt conditionalia, nempe
si aliquâ ducere velim, ducam te; sic
Layman *Theol. moral. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10.*

Ulterius adhuc quæstio fieri potest, an
hoc impedimentum incurratur etiam ex
viricidio? ut si uxor propria occidat virū
suum, animo cum adultero ineundi ma-
trimonium; vel alius eum intentione ma-
trimonium ineundi cum adultera? *re. est*
alij sentiant contrarium, probabilius esse,
hoc impedimentum incurrri tam ex matrimo-
cidio, quàm ex uxoricidio; nec ad hoc
probandum opus est extensione legis pro-
pter identitatem rationis (quæ, ut notavi
alias in pluribus dispositionibus juris positi-
vi fallit) cum *c. si quis 31. q. 1.* expressè lo-
quatur, *si ve vir, aut mulier virum, qui*
mortuus fuerat, occidisse notetur; & *c. 1.*
de convers. Infidel. de viricidio, ut liquet
ex textu superius jam relato.

§. UNI-

§. UNICUS.

An impedimentum criminis incurra-
tur ab ignorante?

1011. Quæstio est, an licet adulteri sciant, quod adulterium conjunctum occisioni conjugis, vel data fidei de matrimonio cum complice, sit graviter malum, nihilominus non incurrant hoc impedimentum, si ignorent, illud ex juris dispositione annexum esse tali delicto? Sententia affirmans, incurri etiam ab ignorante, est communis; sic Castropal. tom. 4. d. 4. de spon. p. 12. n. 11. P. Matthæus de Moya in selectis quæst. theol. moral. tr. 4. de Sacramen. q. 14. §. 3. n. 15. Ratio hujus est. 1. quia inhabilitas dirimens matrimonium, incurritur etiam ab ignorante, ut patet in affinitate, cognitione tam spirituali, quam carnali; sed impedimentum criminis est inhabilitas dirimens matrimonium inter criminosos, ut constat ex dictis; ut est in confesso apud omnes, ergo.

1012. Secundo, si inhabilitas, nascens ex crimine, non incurritur ab ignorante illam annexam esse delicto, nec incurreretur ab illo, qui ex inconsideratione naturali; & inculcata, seu ex inadvertentia, & oblivione tempore commissi delicti non recordaretur, hoc esse impedimentum: sequelam hanc nemo concedere audebit; nec admittis principiis facile vitari poterit; ergo. Ma. prob. nam tota ratio, ob quam contraria sententia negat hoc impedimentum incurri ab ignorante, quod annexum sit delicto, sumitur ex eo, quod sit poena, que ignorata non incurritur: at in ordine ad excusandum à poena, inadvertentia, oblivio, & ignorantia omnino æquiparantur, ut epressè docent Sanchez in summa. l. 4. c. 22. n. 18. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 4. §. 8. n. 11. & alii complures ibid. relati; ergo.

Tertio, quia licet hoc impedimentum sit poena, non est tamen poena principaliter, cum principaliter tendat ad cavendam machinationem in mortem alterius conjugis, spe matrimonij eo sublato, cum superstitite contrahendi; at ea regula (quod poena non incurrat ab ignorante, illam delicto annexam) procedit solum in casu, quo est poena principaliter: ergo. Mi. patet alias enim affinitas ex delicto, & consequenter nascens inde inhabilitas ad matri-

monium, non incurreretur ab ignorante; quia & hæc supponit delictum.

Confirmatur; quia praxis, & consuetudo Ecclesiæ est optima interpretis legis; at notoria praxis est, & stylus Curix, quod oratores, Rei hujus criminis, non permittantur sine dispensatione contrahere, etiam si alter contrahentium id impedimentum ignoraret, teste Pyrro Corrado in praxi dispens. Apostol. l. 8. c. 9. 17. §. quandoque: ergo. accedit, quod opinionem negantium referens Diana p. 10. tr. 13. resol. 51. ei non adhareat, quia est opinio valdè præjudicialis sacris Tribunalibus Penitentiariæ, & Datarix Romanæ. Hæc illi.

Negativam tamen teste de Moya cit. §. 1014. 2. n. 2. sequitur Paludanus in 4. dist. 34. q. 1. n. 17. ubi requirit scientiam impedimenti criminis, ex parte utriusque delinquentis, nec sufficere ex parte unius. Et absolute requiri scientiam, licet non explicet, an ex parte utriusque, docet Fernandez in Medull. cas. cons. p. 3. c. 16. sec. 5. citans Majorem dist. 37. q. 1. a. 4. & dicens, esse communem opinionem. Eandem tenet Baucius in Miscell. cas. cons. tom. 2. opusc. 1. q. 176. Leander à Murcia in disquisit. in 1. 2. D. Thomæ. l. 2. d. 4. dicens: pro hac sententia stare omnes, qui asserunt irregularitatem, & alias poenas, per leges Ecclesiasticas impositas, non incurri ab eo, qui illas ignorat, etiam ignorantia vincibili, & culpabili, dummodò non sit crassa, & supina.

Eandem negativam sententiam in M. 1015. S. de Matrimonio §. 96. n. 10. Anno 1665. tradidit P. Antonius Zergoll, vir in moralibus multorum annorum, longo studio, versatissimus, ad propositam quæstionem respondens: videri probabile, quod poenam impedimenti dirimentis, invincibiliter ignorantes illam suo crimini annexam, non incurrant; quia probabilis, & satis communis sententia est, poenas ignoratas non incurri: at qui hoc impedimentum est verè poena, & talem esse vult Lugo de poenitent. d. 16. n. 337. Castropal. p. 1. tr. 3. d. 2. p. 2. n. 3. & ita respondit etiam Dicastillo à me consultus 10. Sept. 1644. sic ille.

Potissimum negantium fundamentum est, quod poenæ non incurrantur ab ignorantibus,

M m

rantibus,

rantibus, esse annexas suo delicto; sed impedimentum ex crimine, est pœna: ergo non incurritur ab ignorantibus, esse annexam suo delicto. Ma. probant ex pluribus instantiis. Nam qui censuram ignorat annexam suo delicto, nec illam, nec peccati reservationem incurrit, ut docent Sanchez in *Summa l. 2. c. 8. n. 5.* Castropalaus *tom. 4. tr. 23. p. 15. §. 2.* & complures alii apud de Moya. *n. 16.* & ratio est, quia ceteroquin aequali pœnâ punirentur delicta inæqualia; qui enim peccat contra legem, *ignorans pœnam* non tam graviter peccat, quàm qui peccat contra eandem legem, *sciens simul prohibitionem, & annexam pœnam.*

Min. etiam probant. 1. Nam lex pœnalis est, quæ imponit pœnam in culpam transgressionis; ut rectè notat Pereyra in *Elucidario Theol. & utriusque juris. n. 195.* & Castropalaus *p. 1. tr. 3. d. 2. p. 7. n. 4.* lex pœnalis est, inquit, quoties in pœnam delicti imponitur; *uti contingit in irratione matrimonij, ob uxoricidij, vel adulterij crimen, cum promissione futuri matrimonij:* hoc autem impedimentum infligitur à lege Ecclesiasticâ in culpam adulterij, vel conjugicidij, ut certum est; & testatur Sanchez *l. 7. de matr. d. 5. n. 7.* dicens: *impositum esse in pœnam delicti commissi, & ad præcavendum imposterum,* quæ secunda dicti pars denotat qualitatem pœnæ, nimirum *medicinalis præservativæ;* tales autem pœnæ non incuruntur ab ignorante, illas suo delicto annexas, ut bene probat idem Sanchez. *l. 9. de matr. d. 32. n. 13. ex c. 2. de constit. in 6.* ibi: *Ut animarum periculis obvictur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Et quamvis hic textus loquatur solum de statutis ordinariorum, procedit tamen in quocunque etiam Pontificio, saltem in foro conscientie, re ipsâ ignoratâ pœnâ, licet in foro externo juris clari scientia potius, quàm ignorantia præsumatur.

1017. Deinde impedimentum criminis habere rationem *veræ pœnæ*, non minus, ac habeant censuræ; privatio juris pendendi debitum conjugale, plurimis locis docet Sanchez, uti videri potest a-

pud de Moya à *n. 6. sic l. 9. hic d. 32. n. 18.* expressè enim docet annullationem actûs, quando non est solemnitatis defectu, sed in delinquentis pœnam, non incurri ab ignaro legis; & ibid. *n. 13.* negat, excommunicationem fore pœnam simul & medicinam, si ignorata incurreretur; sic enim non posset retrahere à peccato: at secundum eundem *l. 7. de matr. d. 5.* impedimentum criminis est pœna (cum infligatur ob delictum commissum) & simul medicina; cum infligatur ad præcavendum peccatum adulterij, & conjugicidij; ergo nequit incurri ignoratû. accedit Castropal. *supra cit.* qui apertè ait, *ex toto hoc titulo constare, esse pœnam delicti; sicut est nullitas electionis ad bene ficium propter simoniam.*

Ad rationes in contrar. respondent, & 1018. 1. ad eam, quæ habetur *n. 1011.* concedunt, quod *inhabilitas non pœnalis* (etsi dirimat matrimonium) non incurritur ab ignorante, negant autem, *si sit pœnalis.* Inhabilitas, quam præstat cognatio, vel affinitas, non est pœnalis, quia non supponit essentialiter delictum, sed solum certam propinquitatem personarum, oriundam vel ex commixtione sanguinis, etiam licitâ; vel alio actu sacramentali, vel legali. Unde nec affinitas illegitima (nimirum ex illicita copula carnali) reddit pœnaliter inhabilem; eodem enim modo inhabilitaret, esto copula non conjugalis licita foret, cum oriatur etiam ex copula licita, & conjugali; esto Concilii Tridentini benignitate hujus inhabilitatis extensio restricta sit iustis de causis. Similiter *inhabilitas ad contrahendum simpliciter clandestinè,* inducitur jure Tridentini, *pœnalis non est;* cum antecedenter, & ante omnem actum illicitum commissum ab his, qui contrahere volunt, inducatur: at inhabilitas ex crimine non afficit criminosos antecedenter ad omne illorum crimen sed supponit delictum ab iis commissum, & quidem perfectum, & consummatum; ergo.

Ad secundam rationem in *n. 1012.* 1018. *re. C. ma.* (nam ratio, quæ ibidem adducitur, rectè probat eam) sed *N. 1. parte min.* nam peccans *pœnâ nō cognisâ,* dum sit delictum contra legem pœnale, non peccat

contra legem *penalem quã talem*; lex autem *penalis non infligit penam*, nisi violanti *legem penalem quã talem*, alias inæqualia delicta plecterentur æquali pœnã, ut diximus l. 1. de *constitutionibus*, cuius ulterior ratio est, quia ignorantia pœnæ legalis inducit vel supponit ignorantiam juris; jus nempe, quo conditur pœna transgressoribus; accedit, quod ipse de Moya cit. n. 11. adducat plures, qui negant reservationem peccati, quando inducitur in pœnam delicti, ab ignorante incurri, & in specie P. Sanchez cit. d. 32. n. 18. & de *omni reservatione* idem docere plures, quos cum Diana p. 6. tr. 6. resol. 62. sequitur Thom. Hurtad. tom. 2. *variarum res.* fol. tr. 12. c. 1. n. 1123. fol. 323.

1020. Ad tertiam rationem in n. jam cit. responderi potest i. neg. ma. Nam si exinde deficeret à ratione pœnæ *primario*, ac *principaliter talis*, quia lex, metu pœnæ, intendit cavere machinationem in vitam alterius conjugis; omnes pœnæ quæ infliguntur ad vindictam publicam, nimirum aliis ad terrorem, & ad præcavenda deinceps talia delicta, deficerent à ratione pœnæ *primario*, & *principaliter* intentæ; sic enim omnes assumuntur à Legislatore, ut medium ad procurandum eum finem.

1021. Deinde aliud est, *esse finem legis*; aliud *finem Legislatoris*; quod est *principalis & primarius finis legis*, sæpè solum *secundario* queritur à Legislatore, finem legis assumente pro medio, ad finem à se intentum, ut patet in *omni fine artis & artificis*; præcepti & præcipientis &c. Hinc,

1022. Resp. 2. cum dist. ma. licet hoc impedimentum sit pœna, non est tamen pœna *principaliter*, *spectato sine Legislatoris*. conc. ma. *spectato sine Legis* nego ma. hinc concedo illam regulam (*pœna non incurritur ab ignorante*) non procedere, quando non est pœna *principaliter*, *spectato sine legis*; nego autem, non procedere, quando non est pœna *principaliter*, *spectato sine legislatoris*: ad ma. prob. 2. cavere illa peccata esse *finem*, Legislatoris, non *legis*; ad id, quod additur de affinitate ex copula fornicaria, dictum est n. 1018.

Tom. II.

Ad confirm. in n. 1013. 2. per hanc ^{1023.} opinionem nullum fieri præjudicium sacris tribunalibus lege cavendum. Hinc ipse de Moya cit. n. 4. ait: *Dianam. si non aliunde evertat fundamentum, ex quo deducitur opinio negantium, hoc impeditur incurri ab ignorante, oleum & operam perdidisse*; alias pluribus in casibus abolendæ forent opiniones circa dispensationes; omnes enim negativæ, tribunalibus Pœnitentiariæ, & Datarie Romanæ præjudicant; cum plures dispensationes non esse necessarias doceant; quamvis enim utentibus tali opinione non sit eò recurrendum, nihil iis Tribunalibus jure debitum denegatur.

Ex istis opinionibus sibi oppositis, ^{1024.} affirmativa communis est, ut liquet ex authoribus, & testatur Layman l. 1. *summe. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8.* & sine dubio valde probabilis: negativa tamen non modò probabilis est absolute; sed etiam relatè ad oppositam, suam probabilitatem retinet. *Major enim probabilitas* sententiæ affirmantis nec ex certis, aut evidentibus principiis, nec certè aut evidenter concludit, sed solum probabiliter, & fortè cum aliquo excessu ex autoritate; consequenter non tollit neganti suam probabilitatem, etiam collata ad illam. Ea enim manet etiamnum intra fines puræ probabilitatis; & solutiones suarum rationum habet, valdè probabiles, seu prudenti fundamento subnixas.

Nec obstant sententiæ neganti ea, quæ ^{1025.} in contrarium adducit P. Jacobus Wiestner, adherens opinioni affirmanti, de *Impedimentis Conjugiorum*, p. 2. a. 15. à n. 20. qui præter rationes superius allatas, & dissolutas contra sententiam negantem n. 21. ait. 1. non esse *paritatem* à censuris, irregularitate ex delicto, & privatione debiti conjugalis; quia censuræ requirunt *contumaciam*, quæ cessat in invincibiliter ignorante illa suo delicto annexam. 2. quia illa irregularitates etsi non puræ, principaliter tamen pœnæ sunt, & hoc titulo ab aliis inhabitalibus distinguuntur. 3. quia illa privatio vel est principaliter pœna, vel incurritur ab eam ignorantibus. 4. quia impedimentum criminis principaliter est *inhabilitas*, non pœna. 5. denique ait,

Mm 2

si ne-

si negetur irregularitas ex delicto non incurri ab ignorantibus, statuendum etiam de impedimento criminis cum aliis, quorum sententiam Cardenas in *Crisi Theol. p. 3. d. 75. n. 37.* tanquam certam tuctur.

1026. Hæc, inquam, non obstant; nam paritas immeritò negatur in casu argumenti assumpti ab illis penis ad hoc impedimentum. Etsi enim censura requirant in eas incurfuro contumaciam, ea tamen contumacia non supponit essentialiter monitionem aut comminationem pœnæ factam ab homine; fallit enim in censuris lata sententiæ generaliter à jure, quibus incurrendis sufficit monitio, & comminatio legis, ipso facto imponentis delinquenti censura; sed hæc monitio, & comminatio legis præcedit etiam delictum; cui annexum est impedimentum criminis; ergo & hic est contumacia; si ergo censura ipso jure lata incurritur ab ignorante, citra aliam contumaciam; idem erit de hoc impedimento; ergo ratio contumaciæ quoad hoc inter censuras, & hoc impedimentum non est disparitas. Plura de hoc *V. l. 1. tit. 2.* ubi de lege pœnali; & *l. 5.* ubi ex professo agens de censuris fusè hanc quæstionem trado.

1027. Quid autem ad ostendendam disparitatem faciant ea verba in eodem n. 21. *qui autem legem Ecclesiasticam sub censura prohibentem, vel præcipientem, invincibiliter ignorat, nec monitus, nec contumax, & ejus contemptor dici non potest*, non assequor. Nam etsi dici non possit *monitus* consequenter *contumax*, ubi nec à lege, nec ab homine quis monitus est; dici tamen talis potest, qui est *monitus à lege*: vel ergo monitus à lege, monitus desistit ab actu prohibito, vel nihilominus cum committit? *si primum?* non erit contumax; sed nec erit invincibiliter ignorans, cum vel ab homine, vel à lege, aut conscientia ponatur monitus; *si secundum?* etiam monitus erit

contumax, licet monitio non sit ab homine, sed à lege: at idem est in altero casu. Nec video, qui dici possit *invincibiliter ignorans*, si cum vel homo, vel lex moneat etiam de pœna. Si autem monitio de pœna, sive fiat ab homine, sive a lege, sit ignorata, & solum cognita de malitia; disparitas non est; nam etiam in casu nostro adest monitio legis & conscientia, de malitia, sed non de pœna.

Ad id, quod dicitur, irregularitates ex delicto, etsi non puras, principaliter tamen pœnas esse, jam responsum est n. 1022. etiam hoc impedimentum principaliter pœnam esse, spectato fine legis; idem est de privatione petendi debiti; nec juvat, aliquid esse pœnam puram, aut mixtam, seu non puram. si enim inhabilitas sit pœnalis, seu si lex non intendat inhabilitate præcisè, sed pœnaliter, seu in odium delicti commissi inhabilitate, talis inhabilitas non infligitur à lege, nisi scienter violatur, quæ talis, id, quod non contingit, cum ignoratur pœna, vel lex comminans pœnam. quod adducitur ex Patre de Cardenas, non obstat sententiæ neganti; sit illi certum; aliis tamen est solum probabile; nec rationes contrariæ plus evincunt, id, quod pluribus ostensum est *loc. cit. libr. 1. c. 5.*

Ex dictis colliges, *sub crimine*, in quantum significat impedimentum dirimens matrimonium, venire duo solum delicta, nimirum adulterium, & conjugicidium, adulterium cum promissione matrimonii de præfenti, vel futuro; conjugicidium, vel patratum ab utroque, post obitum conjugis matrimonium inire volente; vel cum adulterio machinante etiam solum uno; non autem secus. Et quamvis etiam hic dici posset de crimine raptus; de eo tamen jam actum est in præmissis. Illud adhuc notandum, hoc impedimento non dirimi matrimonium nisi inter ipsos criminiosos; non autem unius ex his cum alio non complice.

